


Theologia dogmatica.




Teol. 4905

*Varsaviae Christophori De factis et dictis
Sive Christi Commentarius.*

Crac. in off. Lazari. 1583.

Biblioteka Jagiellońska.



VI. b. 374.

D



4474

CIMELIA

3. IX. 116

CHRISTOPHORI VARSEVICII
DE FACTIS, ET
DICTIS IESV
CHRISTI

Commentarius.

CRACOVIAE,

In Officina Lazari. Anno Domini:

M. D. LXXXIII.

SERENISSIME REX



Memini & confecto Polocen : & Vielcolucen : bello, dedisse me tibi aliquid, quod cum ad nominis tui celebritatem, quod alioqui ipsum per se clarissimum est, tum vero ad pietatem excitandam, & Dei Opt. Max. benignitatem erga nos predicandam, aliquo modo pertinebat. Quanquam id mearum partium non esse, teque ut omnibus praesse, sic & praere consueuisse, ea in re non inficior. Ne vero vel haec tua expeditio tertia sic abeat, habeat Rex meus, Commentarium de dictis & factis Iesu Christi, quem hoc in itinere exaravi, & qui ut nuper Dialogus de morte, omen fati hostibus, antidotum nobis mortis, si non huius, at certe alterius fuerit. Quem etiam prima die Castris ad Plescouiam positus, tibi offerendum censui, ut diuini memoriae beneficii, sicuti tum, ob benedictam rem, sic ob gerendam nunc vel maxime, supplicationes ei decernas atque instituas : & a numinis, & diuini obtestatione, eius urbis oppugnationem (ut facis) ordiare, utque oculum illius, qui finxit oculum, & digitum quo temperat cuncta, reuerere & extimescas, & denique ut exstet cum protectionis meae, tum instituti tui monumentum sempiternum. Sic ego Rex, ne gaudere quidem sine aliquo timore possum, & vel inter arma ultimasque terras, ea tibi suggerere non dubito, quae ad te pertinere vel in primis puto. Ratus virtuti amplissimum esse praemium, recte factorum conscientiam, & vnam incorruptamque vocem bonorum, recte de ea iudicantium. Tu qua prudentia es potes, qua iustitia, dispicere debes, quid cuique tribuendum in Repub. videatur, Quod ut facias, vel quod facis potius, nemo non bonus gratiam tibi habet, nec vllam non debet. Bene vale, & felicissime regna. Datum in Castris ad Plescouiam xxvij. Augusti. Anno M. D. LXX XI.

S. Vestrae Maestatis.

Cim. Qu. 4474



Fidelissimus & obsequentissimus subiectus & seruator. C. Varsenicus.

BIBLIOTECA
JAGELLONICA

Christophori Varseuicij, de factis, & dictis Iesu Christi Commentarius.



I, quæ tua, Christe Opt. Max. erga genus hominum sunt beneficia, percensere velim; non modo mens, & memoria, verum etiam ætas ipsa me deficeret. Tu enim unigena Dei patris filius, patriq; par, & æqualis tuo, non ab ullo certo tempore factus, vel creatus; sed mirifica quadam, nec hominibus ratione nota, à solo patre ante secula genitus es: & multò antèquam in hunc mundum venires, à patribus & Patriarchis expectatus fuisti, perq; ora ipsorum te venturum prædixisti. Quo quid admirabilius dici, aut cogitari potest? Quòd si & Moses quicum ille amicissimè familiarissimèque loquebatur, & Doctor gentium Paulus à corporis sensu abstractus, & spiritu diuino, ad tertium usque cælum excitatus humo, quis, & qualis esset Deus, non enarrauit; quantò minus nos id assequi sperare debemus? qui, ut summa cætera, quæ nulla sunt, habeamus; tamen de Deo Opt. Max. dicere non humani ingenij, non virium est: non capiunt id pectoris nostri angustie, non debilitas intellectus sustinet, non denique, nisi quantum aut hic cæli & terræ speciosus ornatus nobis testatur, aut ipse patefecit Deus, mentis acie de eo peruestigare possumus. Quis enim in hac nostra mortalitate, infirmitateq; naturæ illam supremam, diuinamq; naturam, quis hypostasis cuiusque proprietatem, & omnium inter se tantam coniunctionem, & societatem; qui illius vel

A ij

hypostasis

*hypostasis triplicis vnitatis, vel natura simplicis vnitatis ima-
ginem, in populo christiano diuinitus expressam, pro eo ac par
est, intelligat? Equidem quocunque infero oculos, & omnem
omnium gentium antiquitatem memoria circumspicio, ex tot,
& tantis, ob illustre sapientiæ nomen, clarissimis viris, nemi-
nem reperio, qui tam arcanam, tamq; admirabilem rem, di-
cendo explicare pro dignitate queat. Gnari olim, & diligen-
tes cultores diuinarum literarum Iudæi habebantur. Enim-
uerò fuit horum aliquis, qui naturam diuinitatis vnã in
triplici hypostasi perfectã consistere cognouisset? Quid? Nonne
Chaldei in Syria astrorum cognitione, & ingeniorum so-
lertia maxime præstabant; at & istorum aciem, sicuti ocu-
los noctuæ ad solem, ad ea, quæ diuinitatis sunt, hebescere,
& languere fuit neesse. Quid Persæ? nonne commentan-
di, & colloquendi studio inter se tanto certabant; vt Regiam
dignitatem nemini deferrent, qui Magorum disciplina imbu-
tus non videretur? Quid, verò si & hi ita se literis abdiderãt,
vt de Deo Opt. Max. deq; eius veneranda Trinitate in lucem
& aspectum nihil protulerint? Nihil de Ægyptijs loquor,
qui in tanta cupiditate discendi, tanta concertatione verbo-
rum, & opinionum, tanto denique legendi otio, & copia, qua
in tot antiquissimis literarum monumentis abundabãt, de vno,
& trino Deo Opt. Max. ne vnicam quidem veritatis scintil-
lam excutere potuerunt. Quid postremò omnium gentium, na-
tionumq;, & ætatum doctissimos viros hac sola in re infan-
tes, & stupidos commemorem? Siue Bactrianorum Simenæ-
os, siue Gymnosophistas Indorum, siue Druides Gallorum
quis aspiciat: siue Græciæ sapietes, siue Latinorum doctores,
& magi-*

*Et magistros intueatur; tu solus Christe Opt. Max. qui lux,
via, & veritas es ipsa, hanc tantam caliginem, cæcamq; no-
ctem admirabili splendore doctrinæ tuæ discussisti: cùm, tan-
quam Dei internuncius, & interpres, sine vilo verborum ve-
luti anfractu, & circuitione enarrares ea, quæ non dicam cõ-
plecti orando, sed asequi cogitando nemo mortalium potuisset.
Quod quidem, ut pro tua immensa clementia, & benignita-
te erga nos facilius præstitisses, non casu, aut necessitate ali-
qua, sed diuina prouidentia, hominumq; salutis gratia Be-
thleem Iudææ oppido, nullo patre, opere Spiritus sancti, ex Ma-
ria virgine matre nasci dignatus es. Anno post orbem con-
ditum, Quinquies, Millesimo, Centesimo Nono, & Nona-
gesimo, Octauo Calendas Ianuarij. Jam verò primùm omni-
um constat, sub Herode Rege, Zachariæ sacerdoti seni, per
Angelum Gabrielem prædictum fuisse, ex Elizabetha sterili
filium ei nasciturum, qui Ioannes diceretur: quod quoniam
non crederet, mutum eum tandiu futurum, quandiu ea non fi-
erent. Quam post prædictionem, cùm Elizabeth concepisset,
ad virginem Mariam Nazareth idem Gabriel mittitur, qui,
virginitate eius illibata, Iesum prædicit ex ea nasciturum: nec
verò amplius, quàm, tribus interiectis mensibus, Elizabeth fi-
lium peperit, cui nomen Ioannes, frustra renitentibus alijs,
est impositum. Zacharias autem, recepta diuinitus loquendi
facultate, effectorem, & molitorem rerum magnificentissimè
prædicauit. Atque ita demum, sexto mense, tua, Christe Opt.
Max. generatio subsecuta est, ex Abraham, per David, per
tesaridecades tres tracto exordio: in quarum prima, Regnum
Abrahæ expectabatur: in altera, in Dauide coeptum floruit:*

*in tertia idem collapsum, nouo modo per te restitui debuit. Quo eodem tempore, vel paulò antea Ioseph summa innocen-
tia præditus, & animo fluctuans, per Angelum in somnijs est
admonitus, Mariam matrem tuam sibi desponsatam relin-
quere, eaque grauida facta, offendi ne uellet: quandoquidem
ob salutē humani generis è Spiritu sancto ea concepisset. Hæc
quàm magna, & quàm aptè disposita beneficia tua sint, & fu-
erint, quis ignorat? Sed non ad minora alia properat oratio.
Etenim posteaquàm natus es, quod non exemplum dedisti pi-
etatis, sanctimonie, continentie, moderationis, & mansue-
tudinis tuæ singularis? Summus, & excelsus Deus iacuisti
in præsepio, vagiens, super fœnum: duorum animalium ste-
tisti in medio: in balneo fuisti lotus muliebri officio. Quid?
an infantiles necessitates cunctas homo omnium mitissimus
non pertulisti? An linteis uilissimis inuolutus non fuisti?
An sacratissimis uberibus uirgineis lactari te non permi-
sisti? & an octauo post ortum die, ex lege Mosaica circum-
cisus, sanguinem pro nobis non fudisti? non quòd nos eadem
lege teneri uoluisses; sed ut istam, ut ita dicam, circumci-
sionem animi, hoc est, omnium motuum animi, à recta ratio-
ne auersorum extirpationem, nobis sequendam proponeres?
Quid? quòd angeli, cum gaudio pastoribus te annunciarunt,
Magi stella duce adorarunt, & demum per aliam uiam in
regionem suam reuersi sunt, cum admiratione tuæ diuinæ
natiuitatis, & uirtutis? Qua in re non itineris longitudo, nò
uiarum difficultas, non Herodis timor, moram eis attulit:
non parentum egestas, non pueri ætas, non loci humilitas
à tribuendo tibi honore eos auocauit. Jam cùm exilibus
donis in*

donis in templo oblatuſ à Simeone iuſto ſene, poſt diuturnam
cuius expectationem, & ab Anna vidua, an non cognitus lau-
datusq; eſ? Nec mora, impulſu Angeli, tecum, & cum Maria
fugiens in Ægyptum Ioseph, crudeliſſimi Herodis te ſubtra-
xit iniuriæ, quam in infantem Bethleemiacoſ exercuerat, no-
ui Regis excitatus metu. Sed, hoc demum ſublato Herode, An-
geli monitu, in terram Iſraël reuerſus eſ. Et quòd, Archelaum
Herodis filium timens, in Nazareth Galiliæ tecum ſeceſſiſ-
ſet Ioseph, tu Nazarenus eſ appellatus. Quid? duodenis fa-
ctus, & ſoleſſi Paſchæ die, Ieroſolymam profectus, triduoq;
à parentibus quæſitus, an alibi, quam in templo inuentus eſ,
diſputans cum Doctõribus eruditiffimis puer, ſumma cum om-
nium admiratione, atque laude? Jam verò, vt Nazareth re-
dieris, iſdem parentibus dicto fuiſti audiens: ruro quodam
manſuetudinis, & obedientiæ exemplo omnibus propoſito ad
imitandum. Age progrediamur ulterius: cum tu, & Ioannes
præcurſor tuus virilem ætatem iam fuiſſet aſſecutus, tempusq;
adueniſſet Euangelij prædicandi, Anno quintodecimo impe-
rij Tiberij Cæſaris, Pontio verò Pilato gubernaculis Iudææ
præſidente; an non Baptiſmo, ad pœnitentiam inuitare cœ-
pit Ioannes uniuerſos? multitudini, miſericordiæ officia, pu-
blicanis, ſeu cricitatem legis, militibus, iniuriarum præſcribens
abſtinentiam? & tum austeritate loci, tum victus, veſtitusq;
ratione, venerabilem ſe efficiens: ita tamen, vt minimè ſe pro
Chriſto venditare, ſed Chriſtum fortioſem, dignioſemq; ſe, poſt
uenturum annuſciare non dubitauerit? Hæc dum ita fiunt:
Ecce tu primus inter alios Ioannem ipſe adiſti, et in Iordane,
quamuis aliquandiu id ſubterfugiebat, ab eo tinctus, baptiza-
tusq; eſ.

tusq; es. Quo loco æternus pater, voce cœlitus fusa, filium suum te esse, & in te mirificè se acquieuisse est testatus, quem audire & venerari cuncti debemus. Mox verò Spiritus sanctus in specie columbæ super te descendit, & eiusdem naturæ communionem, qua patrem, & filium se esse, haud obscure declamavit. Mira prorsus hæc, & plena consiliorum secretissimorum: cum alioqui annum agentem trigessimum, filium Ioseph fuisse te aliqui putauerint. Ac, ne vel alia miracula tua tacitus præterire videar, eaq; si non ordine, neque modo abs te seruato, recenseam cuncta, saltem attingam aliqua, & erit qui nesciat, quid primo, quid secundo, quid denique tertio ætatis tuæ anno gesseris, & quomodo hunc mortalis tuæ vitæ cursum, perpetuis miraculis refertum, & insignitum esse volueris. Primò enim patris & almi Spiritus testimonio, quis, & quantus esses declaratus, mox in desertum secessisti: ubi post quadragenarium ieiunium, sine ullo cibo peractum, tandem occasione famis, variè à Sathana pertentatus es, ipso tamen tentatore victo, & Sanctorum Angelorum ostenso ministerio, quod præsto tibi adesset, perpetuoq; adfuisset. His ita gestis, auditum est de te luculentissimum Ioannis testimonium; qui & Sacerdotibus, qui ad eum quæsitum missi fuerant, non se, sed te eum, qui expectabatur, esse clare respondit: & in sequenti die, digito te præsentem demonstravit: & denique alio quodam die, Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, esse te discipulis renunciavit. Qua occasione, quinque discipuli agnoscere te cœperunt, & sequi non dubitauerunt. Omnium autem miraculorum tuorum, in nuptijs fuit miraculum primum, in quodam vico Chana Galilææ, in quo, rogante,

te, & sol-

te & sollicitante matre aquam in vinum conuerteris: & quis, quantusq; eses, post aliorum testimonia de te edita, ipse etiam ostendens. Quo eodem tempore, initium publicæ prædicationis tuæ inauspicatus es. Et alia fecisti miracula multa, ac propemodum infinita, quibus non modò mea, quæ exigua est, sed nec cuiusquam eloquentia, par poterit reperiri. Nam quid ego de alijs gestis, & prodigijs tuis loquar? & quisquam dubitabit, ut te ipsum magis manifestares è Capharnaò, ubi diebus aliquot cum tuis permanseras, ob Pascha Iudeorum instans, te ascendisse Hierosolymam, ubi flagello de funiculis factò, eiecisti vendentes atque ementes, & cum de signo vendicæ authoritatis quærerere, mystico, & arguto responso, templum à Iudeis soluendum, & triduo exactò, denuò à te excitandum, denunciare ausus es. Neque id sanè temere. Hoc enim & alio loco, miraculis editis quamplurimis ad credendum, & ad hærendum tibi, non paucos pellexisti: & inter hos Nicodemũ Pharisæum Iudeorum Principem, quo cum nocturno colloquio habito, mysterium regenerationis veræ, per aquam, & Spiritum, crucis item, & fidei unum eum docuisti. Quid porò? necessitate regenerationis ostensa, & denunciata, cum eo usque in Galilæa semper mansisses; an non tandem quoque in Iudæa commorari, & cum baptizante Ioanne, tibi quoque baptizare placuit? Quod ipsum, cum discipuli Ioannis ferrent molestius, & quòd ad te confluerent plures, non dubitanter quærerentur; idcirco Ioannes testatum fecit uniuersis: te, quàm illum, longè superiorem esse, sempèrque fuisse: & illum minui, te verò crescere oportere. Qui, quasi suo perfunctus munere, sub illud tempus in carcerem coniectus est, ab Herode

tyranno, ob reprehensum ipsius adulterium. Tu verò, eius captiuitate intellecta, & aliquorum erga te perspecta inuidia, qui illo concursu frequentiaq; populi apud te offendi videbantur, relictâ Iudæa, tuam te contulisti in Galilæam. Si quidem omnis virtus sine inuidia esse non potest, sola tamen prudentia declinari debet. Quo in itinere, cum inter iacentem Samaritam necessariò pertransiisses, & à quadam muliere Samaritima fatigatus aquam petiisses, post varios cum ea habitos sermones, tandem cognitus, & multis Samaritanorum per eam patefactus es. A quibus rogatus cum esses, dies manere duos, & demum cœptum prosequi iter placuit. Unde in Galilæam transisti, à cuius incolis, ob miracula Hierosolymæ abs te edita, humanissimè es exceptus. Quid multa? Ut geminare miracula viderè, in illa ipsa priori vico Galilææ, Chana nuncupata, Reguli filium periculosissima febris laborantem, reddidisti incolumem. Et relictâ ciuitate Nazareth, in qua altus & eductus fueras, Capharnaum, nobile Galilææ emporium, veluti non incommodum doctrinæ, & concionibus tuis domicilium, tibi elegisti. Quas quidem conciones, cum longè atq; latè spargerès, & morborum curationibus illustrares, per vniuersam Syriam nomen tuum celebrari est cœptum: & ad videndum te, implorandamq; abs te opem, multi vndiquaq; confluxerunt. Et quoniam veluti testibus, & administris quibusdam, gestorum, & sanctitatis tuæ opus habueras; statim ut Euangelium annunciare exorsus es, duo fratrum piscatorum paria, ad sequendum te euocauisti. Petrum vocat, et Andræam fratres, necnon & duos alios, Iacobum, & Ioannem filios Zebedei. Qui miraculo quodam, captorum piscium in tui admirationem

rationem rapti sunt, mox etiam omnibus relictis, citra retar-
dationem, tibi adhærere non dubitauerunt. Quibus cum in-
gressis Capharnaum; spiritum immundum à dæmoniaco ex-
pulistis, & mox in Petri domo, fæbricitantem eius socrum,
nutu ipso sanauisti. O admirabilem potentiam, & boni-
tatem tuam! Harum igitur rerum sic gestarum fama,
cùm ad multorum aures, notitiamq; peruolasset; domus ea, in
qua fueras, à multis languidis, & dæmoniaco, eò adductis,
obsessa fuerat: quorum omnes, manibus impositis, benignissi-
mè curare dignatus es. Postridie verò mane egressus, orandi
sicut solebas causa in montem secessisti, & nauiculam sume-
re, teque præcedere Apostolos iussisti. Quod cùm illi fecissent,
& urgente iam vespere, in viam dedissent se; en statim con-
trario vento laborare cœperunt, & maximè timuerunt. Hos
tu pedibus ingressus mare, cùm mediū iam fretum tenuissent,
secutus es: & tanquam in solido ambulare videbâre. Et rur-
sus cùm obdormiuisses in naui, & ventus vsque ad extremū
periculum seuire cœpisset; statim, ut somno excitatus fueras,
venti tuo imperio, nutuq; paruerunt: & fluctus, qui maxi-
mè ferebantur, protinus quieuerunt. Ita demum in regionem
Grabenorum, Galilææ oppositam, nauigio delatus, duos dæ-
moniacos obuios habuisti, & à dæmonibus liberauisti. Statim
autem è naui egressus ut fuisti, infinita multitudo hominum,
quæ ad te accurrebat, comiter te excepit: & cùm Capharna-
um peruenisses, Pariliticum quendam, multitudinis, quæ im-
pediebat, ergò, per tegulas demissum, peccatis eius prius remis-
sis, etiam pristinæ restituiisti sanitati, Phariseorum vanita-
te, & admurmuratione appositè confutata. Quibus peractis,

rursus ad mare egressus es, & Matthæum in theloneo sedentem, te ut sequeretur, vocauisti. A quo simul cum publicanis alijs exceptus conuiuio cum fuisses, audita est Phariseorum contra te murmuratio: qua tu sapienter repressa, mox & aliam, cum discipulis Ioannis, ob neglectum ieiunium, sedauisti: nec multò post, à principe quodam Sinagogæ Iaiza dicto, sanandæ eius duodenæ filiæ gntia, precibus victus, atque euocatus, ingressus cum eses iter; Hemoroissam duodenem in via sanauisti: & in Iaizæ domum perueniens, eius filiam iam mortuam in vitam reuocauisti. Unde digressus, duos cæcos sequentes te, illuminare, & demoniacum curare mutum dignatus es: mirantibus turbis, Phariseis calumniantibus, discipulis in fide corroboratis, & erectis. Hæc, & multò plura, primo, & trigesimo anno ætatis tuæ, abs te sunt gesta. Quid verò, cum ob Pascha Iudæorum, rursus è Galilea Hierosolymam te contulisses, loquar? & erit cuiquam dubium, quòd eum, qui triginta & octo annos languerat, apud probaticam piscinam curaueris, & grabbatum post te tollere iusseris? Quo ipso, cum Iudæorum persecutioni maxime obnoxius uiderere, de tua, & patris potestate, & de mortuorum resuscitandorum, ac iudicandorum omnium, vi, & potentia, prolixè & copiosè disserere apud multitudinem placuit: prolatis Dei patris, Ioannis, tuorumque operum, ac Moysis denique ipsius scripturarum testimonijs propemodum infinitis. Et sic semel Iudæis confutatis, cum deinde Pharisei discipulos, ob spicas sabbato decerptas, & comestas calumniarentur; rursus eorum refutauisti calumniam. Quòd idem & tertio fecisti, & alio sequenti sabbato, in Synagoga quendam manum aridam habentem

bentem curauisti. Hoc tamen cum nibilo plus redderentur illi meliores, imò de te perdendo, & è medio tollendo, dies, noctesq; cogitarent, secessisti ad mare prudens, multa ex omnibus regionibus, multitudine te sequente, & admirante: cuius ægros, & demoniacos curare, & pastu doctrinæ tuæ, magis magisq; reficere nunquam cessabas. Mirum autem omnium est, & videri debet, quòd relicta multitudine, cum in montem orandi causa ascendisses, post noctem orando transactam, ex omnibus ad te vocatis duodecem elegisti, quibus Apostolorum nomen largirere. Cum quibus è monte descendens, in hominum frequentia maxima, vitæ, & perfectionis Euangelicæ summam complexus es: & primùm, quibus in rebus, contra hominum opinionem & sententiã, felicitas, & infelicitas sita sit, apertissimè docuisti. Deinde veterem legem, perfectioribus mandatis nos adimplere, & eleemosynã aliter facere, & ieiunia, orationesq; præstare oportere, quam à Phariseis ista fierent, monuisti. Ab auaritia porro, quæ radix malorũ omnium est, & censeri debet, & à solitudine rerum terrenarum, es quàm grauissimè nos dehortatus: & ut non temere iudicandum, orationi instandum, à pseudoprophetis cauendum, tuæ doctrinæ, & vestigijs insistendũ, perpetuò putaremus. Hæc, similiãque alia, subsecuta est leprosi mundatio. Quem mundatum ad sacerdotem mittere, nec multò post Centurionis, ob rimum fidem cõmendati, seruum absentis à paralyti liberare placuit. Inde ad ciuitatem Naim profectus, vnicum viduæ filium, sepulturæ proximum, è morte in vitam reuocauisti. Quibus, quid aut dici, aut fieri poterat mirabilius? Cedant tibi omnes omnium gentium dij: veram, & solidam virtutem, &

gloriam tibi vni concedant. Non benignitas Ioui, non fortitudo Marti, non Mineruæ sapientia, non Mercurio eloquentia, non Veneri amor, non Neptuno imperium maris, non Cereri fruges, non Baccho vinum falsò tribuatur. Quis omnia hæc non egesta sed congesta, non oppressa sed expressa, in te, & per te vnum non fateatur? Quandoquidem benignitatem pro interfectõibus tuis orando, fortitudinem, vel vnico verbo hostes domando, sapientiam, omnes Doctores, & legisperitos confundendo, eloquentiam, maximam multitudinem hominum in admirationem tui rapiendo, amorem, morte tua alios saluando, maris imperium, mare ipsum pacando, Cererẽ quinq; panibus, quinque hominum millia satiando, Bacchum inuentorem vini, aquam in vinum permutando, ostenderis. Itaque dum vnum post aliud edis miraculum, Ioannes è carcere ad te discipulos misit, qui, num verus Messias eses, accurate perquirunt. His cum mandato ad Ioannem remissis, & Ioannis dignitatem prædicare, & eorum exprobrare duritiam, qui nec Ioannis aduentu commouerentur, nec tua conuerterentur doctrina, non temerè voluisti: notans maxime Phariseos, atque Scribas, quibus, apud Deum Opt. Max. publicanos apud homines abiectos volueras anteferre. Atq; hæc quidem omnia ea constantia sunt abs te gesta; ut à Simone Phariseo, ad conuiuium inuitatus, ob doloris & amoris summam significationem, mulieri peccatis inquinatæ delicta eius remiseris, Phariseisq; præposueris. Jam verò longa post itinera, cum domum te recepisses, oblatum tibi demoniacum cæcum, & mutum, cunctis liberaisti malis. Quòd quoniam multitudo mirabatur, Pharisei calumniabantur, & forte de

fortè de cœlo signum alij aliud requirebant; tu sanè, quæ tua insignis prudentia fuerat, haud fallacibus argumentis, illud, quod erat factum, Dei Opt. Max. potestate esse factum ostendisti: neque eos signum de cœlo, sed è terra, quod eos damna- ret, expectare potiùs debere monuisti. Quæ tua disputatione intellectu, mulier quædam, tanti magistri matrem, ardenti spiritu beatam præclamauit. Tu verò auditores, & observa- tores, diuini uerbi beatos renunciauisti. Nec ita multò post domo exiens, adijsti mare; ubi, congregata ad te multitudine hominum maxima, doceri, sed varijs in parabolis, auditus es, necnon cum admiratione audientium. Quis enim non mire- tur de quadriformi seminis euentu parabolam tuã, qua variã uerbi Dei in hominibus effectiõnem testatus es? Quid? Para- bola de zyzanijs semini bono permixtis; an non bonos malis intermixtos esse, sempèrque fore significat? Nihil de parabo- lis tribus, modum, & incrementum Euangelicæ doctrinæ de- pingentibus loquor: quarum prima est de semine parabola, quod iactum in terram, sensim excresceret: de sinapis grano altera, quod cum sit minutissimum, in arborem maximam cre- scere uideatur: & denique parabolam de fermento, quod tribus farinæ satis commixtum totum fermentaret. Atque hæc quidem fuerunt ad populum orationes, & præceptiones tuæ. Quid domi? Num priuatim, & discipulis de thesauro, & margarita adinuentis, omniumque bonorum iactura emptis doctrinæ Euangelicæ pretium non explicauisti? addens in- super, & de sarena parabolam, quæ pisces bonos, & malos si- mul concluderet; ut nemini obscurum esse posset, & debeat, bonorum, & malorum in Ecclesia fuisse, esse, & semper futu- ram per-

nam permixtionem. Hæc omnia & singula, cum essent abs te diligenter ventilata, egressus in patriam tuam Nazareth, cum in Synagoga Isaie locum in te expletum exposuisses, & incredulitatis tuos ciues condemnasses, ab eis ciuitate eiectus es: ita tamen, ut è medio te confestim subduceres illorum, qui è montis fastigio te præcipitare conabantur. Nec mora, omnes ciuitates, vicosque peragrans cum Apostolis, & mulieribus aliquot, quæ ministrabant tibi, multitudinis illius misertus, quòd pastoribus destituerentur bonis, cum certis mandatis dimisisti duodecim Apostolos, pridem abs te electos, in orbem terrarum vniuersum, denuncians eis mala, quæ ob Euangelij prædicationem eos manerent, & rursus eos reficiens, & confirmans. Quò minimè contentus & ipse, tandem es eos subsequutus; ut mundum doctrinæ tuæ luce, quàm maxime illustrares. Quo tempore, nominis tui fama Herodes permotus, subdubitare cæpit, num Ioannes, quem paulò antè decollare iusserat, & puellæ eius caput obtulerat, reuiuisset. Cuius suspitionis gratia, & semel, quòd peractis mandatis reuersi ad te Apostoli fuerant, cum tuis nauigio trans mare Galilææ in locum sterilem secessisti: ubi nihilominus, ingens hominum multitudo, te subsequuta est, adeò, ut semel quinque millia hominum, quinque panibus ordeaceis, & duobus piscibus faciaueris: collectis duodecim cophinis post refectionem fragmentorum. Cum verò aliud Iudæorum Pascha instaret, necnon prospiceres, hoc, & alijs miraculis tuis, multitudine excitata, te aliquando regem salutari ab ea debuisse; trans mare discipulis te præcedere iussis, & ipse in montem properè ascendisti. Unde ad suos maritimum illud iter pedes conficiens, nocturno

tempore

tempore consternatos, cum phantasma nescio quod opinarentur esse confirmauisti. Petro super aquas ambulandi facultate concessa, & omni confestim sedata tempestate, nauis denique ipsa, in litus delata & perducta. In quam reuersus ac fueras, vel solo contactu fimbriæ, undiquaque collectos ægros sanare, & pristinae valetudini restituere dignatus es. In sequenti verò die, cum occasione miraculi quinque panum quotidie confluerent ad te plures, & feruentiores, à panis corporalis desiderio, ad quærendum panem cœlestem, eos grauissimè es adhortatus, disserens de pane eo, quem de cœlis ministrasset pater, & quem ipse pro salute humani generis, præbiturum te suscepas: quo, qui vescerentur, mori non possent, contra, qui eum non gustauissent, iure deberent. Sub id tempus cum non in Iudæa amplius, sed in Galilæa conuersarere, Pharisæorum, & Scribarum aliqui, Ierosolymis ad te descenderunt: & quòd discipuli tui illotis manibus comederent, tecum expostulauerunt. Quibus tu ea, quæ intrarent in os, non inquinare hominem, sed ea, quæ ex corde proficiscerentur respondisti. Vnde egressus in partes Tyri, et Sidonis, Chananææ filiam importunis matris precibus superatus, à malo genio liberauisti: & mox surdum, & mutum, digitis in aurem missis, ac lingua sputo contacta curauisti. Quid porrò de alijs gestis & miraculis tuis loquar? quid montem cum ascendisses, tot debiles ad te delatos, & cunctos pristinae sanitati restitutos: quid multitudinem, quæ triduo secuta te fuerat, panibus septem, & pauculis pisciculis, in deserto satiatam: quid denique post expletam omnibus famem, septem cophinos fragmentis repletos commemorem? Hæc præter te, qui uerus Deus, &

homo fueras, præstare potuisset nemo. Hæc nunquam in vilius cadunt vel ceciderunt præstantiam. Sed agè, Phariseos, & Saduceos rursus, tentantes te, & cœleste signum abs te requirentes; an non, ut terrenum potiùs expectarent, adhortatus es? Quibus dimissis, conscensaq; nauis superasti mare. Atq; ibi demum commonitos à te discipulos, Phariseorum, & Saduceorum fermentum, cauere eos præcepisti: & cùm de panibus essent solliciti, quod diffidere viderentur, eos increpasti: superiora duo miracula panum, in memoriam eis reuocans: qui mirum quendam in modum multiplicati extitissent. Bethsaidam porrò cùm venisses, & cæcus ad te adductus fuisset, primùm quidem imperfectè, mox perfectissimè illuminare eum dignatus es: & illuc, in Cæsariæ Philippi partes digressus, postquam hominum de te expiscatus es sententiam, Petrusq; ante alios veram confessionem edidisset de te; beatum vel hoc solo nomine ipsum pronunciare, & regni cœlorum claues ei tradere non dubitauisti. Quanquam quò minus eundem corripere facere non poteris, cùm aliqua de passione tua Ierosolymis subiecta improbare videretur: eò insuper addito, & denunciato, quòd eum, qui saluus esse vellet, crucem post te portare indubitanter oporteret. His ita gestis, quàm gloriæ tuæ, quæ crucem sequeretur, specimen aliquod edere promiseras. Octaua die cum Enoch, & cum Elia, post colloquium coram Apostolis tribus habitum, in monte immutatus es sic, ut facies tua splendorem solis, vestes candorem niuis imitarentur: moxq;, & paterna vox, iterum de te testimonium præbens, fuit audita. Quam immutationis famam, cùm tuos silentio tegere ad tempus iussisses, & è monte descendisses, postea die è

10

na die è puero eiecisti demonium, quod discipuli ob imperfecti-
onem fidei eijcere non poterant: & hoc nimirum demonij ge-
nus, non nisi ieiunio, & precatione pelli posse testatus es. Quod
dictum tuum à sapientibus, & politicis viris, ad usum, & ne-
cessitatem gubernandæ Reipub: recte refertur, & observatur.
Quippe vt præmissa admonitione, desperatione frangatur im-
probitas. Inde profectus, cum adhuc in Galilæa diuersarere,
omnibus spectandum, & admirandum te præbuiisti: & de im-
minente passione, & morte tua, nonnulla præfatus es; aper-
tis illis verbis quidem, sed nec ab Apostolis ipsis, vt par erat,
tum intellectis. Post longum autem, & difficile iter, Caphar-
naum rursus redijsti: & ne tuo, tuorumq; exemplo, deteriorem
aliquem redderes; pro te, & pro Petro, statere ex ore piscis
recepto, Drachmam solui præcepisti. Quo eodem in loco, cum
discipulos in itinere de primatu inter se contendisse cognouis-
ses; puerum in medium produxisti: idcirco vel maxime, vt
ab eo obedientiæ, & humilitatis exempla petenda esse, alijs in-
dicares: quandoquidem sine ea virtute saluari posse nemi-
nem. Nec multò post, vel illud etiam inculcasti; ne quis scan-
dalum præsertim pusillis faciat, aut ipse factum aliunde pa-
tiatur. Et quoniam fieri nullo modo possit, quo minus scanda-
la, & offensiones inter homines oriantur; memorabile inpri-
mis est, quod docere dignatus es; nempe, quomodo frater pec-
cans admoneri, & quomodo rursus ignoscere, & condonare
ei oporteat: addito de patre familiis simili, haud sanè dissimi-
li, qui serui sui, crudelis in conseruum, debitum decem milli-
um talentorum semel remissum, repetere non dubitauit. Sic
tandem iturus Ierosolymam, ubi, quemadmodum prædi-
xisti, de-

xisti, debueras pati, migrasti in perpetuum è Galilæa. Priusquam tamen eam relinqueres, cognatis monentibus, ut ob instantem tabernaculorum festiuitatem, in Iudæam proficiscerere, non acquieuisti eorum consilio, neque eò, quam illi discessissent, prius ascendisti. Et verò, cum Ierusalem pergeres, et à quibusdam Samaritanis inter eandem ciuitatè excluderere, petentibus discipulis aliquibus, noluisti ulcisci iniuriam; sed ut mansuetudinis, & patientiæ exemplum alijs dares, in alium pagum secessisti: quin, quò minus Samaritanus benè faceres, tenere te nequaquam potuisti. Siquidem in Samariam ingressus, decem leprosos obuiam tibi factos curare, & solum Samaritanum, qui solus ad te redijt, & gratias tibi egit, collaudare dignatus es. Mox Ierosolymam ingressus, in media Scenopegiæ solennitate, post longam Iudeorum expectationem, contra quorundam calumniam docere incepisti: operum, & doctrinæ tuæ, ratione luculentissima reddita, & veritate subtilissimè limata in omni genere disputationis, & sermonis, ita quidem; ut Phariseorum, aliqui contra te irritati, comprehendere te velle, seruosq; suos, propterea mittere non dubitauerint. Qui tamen eorum, quæ aut facere iussi fuerant, aut facere ipsi voluerant, nihil minus præstiterunt. Tu namque in montem Oliueti secessisti, & simul ac diluxit, rursus in templum, docendi gratia reuersus es: & adulteram mulierem à Scribis, & Phariseis, subdolè adductam absoluesti, pudore, & ignominia affectus ijs, qui earum rerum, & molitionum authores fuerant. Ac tum demum, ut quis, & quantus eses, ne vel aliquis ignorare potuisset, nouum sermonem exorsus es, habitaq; cum Iudæis controuersia, cum iam
ferè ven-

ferè Ventum eò fuisse, quòd non secus ac blasphemum lapidare te conabantur, de templo egressus, mirabiliter te abscondisti: quippe sicuti mors vitari non potest, sic spiritus vilis esse non debet. At enim vel ob cæcum natum, quem sabbatum iter faceres illuminaueras, & lutum à te oculis impostum, ablueri in Siloè prius iusseras, Iudæi denuo te calumniauerunt, & maledictis prosciderunt. Qui cum contra Phariseos te acriter defendisset, ab illis quidem eiectus, abs te verò receptus est: nec receptus modo, verum etiam in fide, & doctrina, multò plenius, perfectiusq; eruditus. Quid? cum de veri pastoris, & mercenarij disseruisses notis; an veri pastoris in te, in illos mercenarij conditiones, quadrare non aperte ostendisti? Quocirca etiam, post priores duodecim, septuaginta duos alios discipulos designasti: qui instar eorum, ad quæuis loca bini te præcederent, & eadem illa mandata, & præscripta, quæ duodecim alij, obseruarent. Quibus cum gaudio ad te reuersis, eorum felicitatem prædicare, & ipse in spiritu exultare dignatus es; quòd diuina sapientia, paruulis detecta, superbis sapientibus tecta fuisse. Atque hic nempe factorum, & dictorum tuorum ordo fuerat: quo, quoad eius melius fieri potuit, obseruato, recensere ea placuit. Nunc venio ad alia omnia gesta, & præcepta tua; quæ non ut priora proferam; sed alio modo, & ratione, ut nostra tenuitas fert, breuiter explicabo: & quisquam dubitabit, quòd cum aliquando, tentandi tui causa, Doctor quidam legis, de vitæ æternæ consequendæ via, & ratione te interrogauisset, protulisse te dilectionis mandata duo: & arrepta inde occasione, de Samaritano parabolam adiecisse, qui saucij à latronibus vul-

neniti misertus fuerat. Quo ipso Samaritanos, vel Iudeis ipsis
misericordia præstare testatus es. Et cum aliquando accidisset;
vt iter faceres in Ierusalem; à Martha, in Bethania,
hospitio exceptus fuisti: eamque sollicitam esse circa plurima,
Mariam autem partem sibi optimam elegisse, quæ ei surripi
non posset, pronunciauisti. Neque id iniuria. Prior nanque
cum debet esse æternæ salutis, posterior vitæ necessitatis. Iam
verò cum aliquando ab oratione cessasses, rogatus à discipu-
lis, breuem orandi formam eis præscripsisti: & efficacia orati-
onis perseuerantis vim ostendisti: parabola de eo introducta,
qui panes ab amico nocte importunè impetrauit. Nec multò
post, cum inter loquendum à quodam Phariseo ad prandium
uocatus fuisses, & ab eo ob neglectam lotionem reprehende-
re, præposterum munditiam, & religionem Phariseorum, &
Scribarum superbiam, atque hypocrisim, liberè taxauisti:
quam vt cauerent, diligenter omnes seridò adhortatus es: Nec
non simul auaritiam, & sollicitudinem rerum earum, quæ ci-
to essent transituræ: addita similitudine de homine illo, qui,
cum ob fructuum copiam de receptaculis esset sollicitus, eadem
nocte in uiuis esse desit: & ea, quæ auarè congesserit, fru-
enda, & possidenda alijs reliquit. Quid verò de fidelis serui,
erga uenturum dominum officio, sermone tuo loquar? quo
nimirum incertitudinem aduentus tui denotare, & ut cun-
cti uigilarent, nec indormire salutis suæ uellent, admonere
dignatus es. Quid? cum inter loquendum quidam de Galileis
à Pilato occisis nunciaret, an non inde arrepta occasione,
mox ad pœnitentiam uocas, & inuitas uniuersos? Simile eti-
am de arbore ob sterilitatem amputanda addis, post longam
fructuum

fructuum expectationem. Rursus vero, cum in Synagoga,
sabbatis aliquando docuisses, ac mulierem demonis contra-
ctam malitia sanauisses; quæ fuerit ratiocinatio, & oratio
tua, longum esset commemorare. Archisynagogum quidem ob-
murmurantem repressisti, & pudore cum alijs suffudisti: unde
populus maximo gaudio est perfusus: tibi autem duas alias,
nuper à te dictas parabolas, de grano synapis, ac fermento
subijcere placuit: qua innuebas doctrinam Euangelij, à mo-
dicis & obscuris principijs, ad summam amplitudinem, et ma-
iestatem tandem aliquando peruenturam. Cum vero per ciui-
tates, & vicos, passim doceres, & quodam tempore Ieru-
salem contenderes, inuentus est quidam, qui te de saluandis
interrogare non dubitauit. Quorum tu paucissimum numerum
fore, & per angustam portam in viam salutis contendere nos
oportere, respondisti. Cuius ostium semel clausum nemo ingre-
di poterit, & exteris receptis excludet illos, qui se familiares
ei dixerint. Nec mora à Phariseis monitus, ab Herode ty-
ranno cauendum tibi omnino ut iudicares, in Ierusalem te
moriturum prædixisti. Cuiusq; ciuitatis obstinatam increduli-
tatem, & quæ eam maneret, vindictam grauius amareque
deplorasti. Mitto, cum ad sumendum sabbato cibum, in do-
mum cuiusdam inter Phariseos magni, ingressus fuisti, quam
mirabiliter hydropicum, ante te collocatum, sanare dignatus
es: docens, quæ humilitas in deligendo mensæ loco tenenda
sit inuitatis; & rursus is, qui inuitat, quos inuitare debere
videatur. Taceo, cum longius processisset sermo, & quidam
de pane in regno cælorum manducando fecisset mentionem,
quam apposite exorsus es de homine quodam parabolam, qui

inuitatis

inuitatis ad paritam cœnam sese excusantibus, pauperes undecunque collectos, adduci voluit; ut videlicet pateat, superbis Iudæis exclusis, ad cœlestè conuiuium humiles, ac gentiles esse venturos. Prætereo, cum ingens hominum multitudo sequeretur te, quàm luculenter testatus es, eum, qui verus tuus esse cuperet discipulus, omnibus terrenis affectibus dominari, crucemq; post te ferre oportere. Quocirca quidem unumqueng, expendere apud se debere, num is instar ædificantium, aut militantium par sit, vel esse poterit: quæ alioqui, ut locis, sic temporibus varijs distincta acciderunt. Iam verò, cum post tabernaculorum festiuitatem, quæ septimo quoque mense celebrabatur, & ob enceniorum festum, quod in fine noni mensis obseruabatur, rursus Ierosolymam ascendises, & in templo ambulasses, à Iudæis rogatus es; palàm ut diceres, num eses reuera is, qui Christus dicerère. His tu opera de te testificari tua respondisti. Sed illud in causa, quò minus te agnoscerent esse, quòd ex omnibus non essent tuis, innuisti. Et cum eò denique processisses, ut te tuo adæquares patri, ipsi te lapidare voluerunt. At tu conatu eorum facto irritò, & deluso, subtraxisti te, & in fines Iudææ trans Iordanem, locum Ioannis baptismo nobilem, secessisti. Sed neque eò loci diuina tua virtus latere potuit. Ut enim accensis lignis, primùm fumus, mox ignis, demum flamma conspicitur; sic virtutem primùm inuidia, tandem verò gloria comitatur. Plurimi ergò ex omnibus partibus ad te conueniunt, quos pro more, & instituto veteri curare, & docere dignatus es. Inter quos, & publicani, peccatorèsque fuerant, & propterea Scribæ, & Pharisei murmurare inceperunt. Quamobrem
quid de

quid de oue, drachma, & filio perditis, sed inuentis, parabolis tribus ostendisti; quàm iucunda Deo, & Angelis eius peccatorum conuersio sit, semperque fuerit. Quanquam & aliquaedam de dispensatore iniquo parabola, non minùs admirabilis est, & videri potest: qui cum se dispensatione esse priuandum prospiceret, prudenter sibi bonis ijs, quæ à domino habuerat, consulere non dubitauit. His scilicet vestigijs, in regno cælorum asequendo, ut nos etiam insistamus, & amicos eleemosynis, alijsq; operibus pijs nobis comparemus. Verum hæc, & alia, abs te summo magistro, & seruatore suo prolata, auari Pharisei temere spernebant, atque irridebant. Qui cum ad eò tentandi gratia rogauissent te, num licitum esset diuortium, ostendisti profectò matrimonij vim, & nexum esse talem; qui non nisi morte dissolui possit, vel debeat. Qua ex occasione, cum difficultatem connubij Apostoli colligerent; de cælibatu disserere dignatus es: utpotè, qui coniugio iure, & meritò antefertur; sed quem cunctis præcligere, haud contigit facile. Tum verò, ut Phariseorum auaritiam, luxumq; notares; parabolam de diuite epulone adiecisti: qui, in mundo voluptatibus diffluens, cum pauperi Lazaro opis ferre nihil voluisset, in alio seculo infelix inuentus est, nec vel minimum auxilij in tormentis à Lazaro vicissim est assecutus. Cuius doctrine tuæ, utinam perpetuo recordemur, minus profectò, in his fluxis & caducis rebus, studij operæque poneremus. Quid? de scandalo vitando, de fratre monendo, & in gnitiam recipiendis; quid præceptionibus tuis efficacius, quid vtilius fuerit? sanè tu, & de fidei disserens virtute, rursus sermonem infers ad discipulos: & de humilitate exhibenda

benda tradis præcepta: & denique ut Phariseorum retunderes superbiam; de Phariseo, & Publicano, templum simul ingressis, proponis parabolam: quippe, cum Phariseus, ob superbiam iustitia exciderit, alter ob humilitatem adeptus eam fuerit. Et cum porrò inter loquendum contigisset aliquando, ut paruuli ad te deferrentur, ac discipuli idcirco indignarentur, increpatis discipulis, paruulos complexus es; docens paruulorum humilitatem, & simplicitatem, eum, qui saluus esse uellet, imitari oportere. Venit tum fortè ad te prædiues adolescens quidam, qui de ratione uitæ æternæ consequendæ, cum sollicitè perquireret, mandatis obseruatis, ut bona etiam sua cuncta pauperibus largiretur, es eum adhortatus: ille durum nescio quid, & difficile id sibi uideri non obscure præsetulit. Quo facto pronunciare non dubitaueris, multis ad salutem obstare diuitias, felices autem, qui propter te omnia reliquissent. His dictis de patrefamiliâs parabolam aliam, varijs diei horis operarios in vineam suam conducentis, & reddentis mercedem eandem omnibus in diei fine proposuisti: uert quòd nouissimi primi, & primi nouissimi essent futuri. Dum autem in finibus uersaris Iudææ (in quos ut dixi persecutionem fugiens secesseras) Lazari infirmitatem ex nuncio à sororibus misso percepisti: neque tamen in Iudæam priùs, quàm moretur conferre te uoluisti. Demum uerò eò profectus, quadriduanum factentem è sepulchro excitauisti, & per id Iudæorum non paucos ad fidem perduxisti. Quippe, vel suis cum sordibus amicum esse ferendum, nec factere debere quadriduanum. Hæc cum multorum sermonibus, Pharisei, & Pontifices de te accepissent, habito concilio, ex sententia
Caiphæ,

Caiphae, è medio tollere te decreuerunt: causamque præbue-
runt, ut in ciuitatem Ephrem secederes, & pericula, quæ te
ab ijs manebant, studiosè deuitares. Appetebat tum fortè tem-
pus subeundæ mortis, & passionis tuæ. Itaque ascendens Ie-
rusalem, sumptis duodecim discipulis seorsum, in via apertè,
iam ea, quæ pati debueras, prædixisti. Quæ tamen ab illis mi-
nimè sunt intellecta. Cùm tamen adesse regni tui tempus suspi-
carentur, mater filiorum Zebedæi, cum filijs te adiit, & pri-
mas in regno tuo partes eis tribui postulauit. Quorum tu im-
prudentem petitionem ostendere, & suborientem aliorum in-
dignationem reprimere, & ad veram lucem sequendam, co-
hortari cunctos dignatus es: subiecto alicubi eò, quòd tu, &
pater unum estis, sicut in virtute, & potentia; ita in deita-
te, atque essentia: & rectè quidem. Quid enim absurdius vi-
deatur, quàm fingere patrem, parem filium generare sibi non
potuisse, aut verò noluisse? Quorum alterum esset infirmi-
tatis, alterum inuidiæ voluntatis. Nimirum, in symbolo fi-
dei, Deus de Deo, lumen de lumine, à patribus sapienter
es appellatus. Quoniam cùm de lumine lumen accenditur, vel
de altero diminuitur nihil, vel in altero desideratur: neque
temere, figuram substantiæ patris, præco ille mirabilium, pe-
gafus cœlituū, te olim dixerat; qui à sensu corporis abstractus,
& spiritu diuino, ad tertium vsque cœlum excitatus humo,
cùm illo triduo, multa arcana, reconditaq; didicisset, ita fari
non dubitauit; quòd videlicet sicuti figura impressa, neque
maior est archetypo, ne qua in parte sit rudis, et informis, neq;
minor, ne similitudinem expressam ipsius archetypi minus ha-
bere videatur; sic tu Dei filius totus, totum referens patrem,

olipo 3

D ij

planè es

plânè es patri par, & æqualis tuo: neque aliunde minorem,
aliquando dixisti te, nisi quod naturam nostram acceperas,
ut ex seruitute in libertatem nos poneret filiorum patris.
Sub id tempus, cùm Iericho, quæ eunti Ierusalem obuia fue-
rat, appropinquares, eorum quendam, qui licet à multitudi-
ne impediretur, opem tuam constanter implorabat, illumina-
re dignatus es: & in Iericho Zachæum, qui te videre discu-
piebat, ad te vocasti, & conuertisti, & salutem ei promisti.
Post hæc, taliâque gesta & dicta tua, audita est de homine no-
bili abs te pambola: qui traditis seruis suis minis decem, in
regionem longinquam profectus, post reditum, rationem cum
ijs iniit, & collaudatis seruis frugi, inutilem seruum reiecit,
& damnauit: quibus similia, in regno tuo, quod instaret, e-
uentura prædixisti. Quid? cùm Iericho Ierosolymam conten-
deres, duos alios cæcos, quorum alteri nomen Barthimo fu-
erat, nōne concessisti visum, ut nihil non tuo imperio cessis-
se videatur? siquidem ventos obsecundauisse, maria serui-
uisse, morbos paruisse, inferos obediuisse tibi constat: & qui
membris omnibus capti fuerant, receptis repente viribus, &
iam lectos, in quibus paulò antè delati erant, reportabant:
qui claudicare, & pedum vitio laborare consueuerant, non
modo gradiendi, sed etiam currendi potestatem à te consequen-
bantur: qui lumina sua altissimis inuoluta tenebris habebat;
ij pristinum aspectum omninò recuperabant. Jam verò ante
sex dies Paschæ Bethaniam veniens, in domo Simonis le-
prosi, honorifica exceptus es cæna, in qua Lazaro accumben-
te, Martha ministrante, Maria accepta libni unguenti ma-
gni pretij, quod ex nardo confectum fuerat, pedes tuos unxit,
& capillo

Et capillo suo deterfit, eiusq; unguenti odore; totam domum perfudit. Quod quidem Iudas Iscariotes, qui te proditurus fuerat, sic indigne tulit; ut unguentum illud amplius trecentis denarijs venire, & pretium egentibus erogari potuisse quaereretur. At enim tu, Mariæ, & tuam agens causam, discipulo ut eam fineret, molestusq; ne esse pergeret, præcepisti: propterea, quod bonum opus in te expleuisse, quod in diem sepulture tue seruaasset, videri posset, & deberet: egentes semper illis præsto fore; te non item: quanquam id ipsum, non egentium misericordia motum Iudam dixisse; sed quod fur esset, & loculos haberet, & portaret, minime ignombas. Postridie ergo asina vectus, per stratam iuris viam, cum gratulabunda populi acclamatione, Ierosolymam ingressus es: urbis eius excidio, quod sub Vespasiano Imperatore accidit, prius deplorato. Quo loco mea excurrere longius posset oratio. Quid enim? Cernamus quæso animo, cum oculis non possumus, te, totius vniuersitatis istius dominum, non in mula, non in equo, non auro, gemmisq; fulgente, sed in asina sedere, vestitu vilissimo, & sordida plebecula comitatum: & rursus, maximum stipatorum numerum, tot equitum turmas, tot peditum cohortes, tot purpuratorum, tot deniq; innumerabilium hominum, omnium vestium, colorumque genere nitentium, resplendentem copiam, in multis regum, & imperatorum triumphis intueamur: & erit, qui tanti Regis, & Imperatoris exemplo, ad contemptum sui, & inanem pompam vitandam, & ad frugalitatem amandam non incitetur? licet frugalitatis nomine laudari Reges non soleant, splendoris, & beneficentiæ debeant. Sed ad propositum reuertamur. In ur-

hem igitur ut venisti, nihil tibi prius, potiusue fuerat, quam
ut in templum ingrederere. Ibi cum emptores, & vendito-
res animaduertisses, eiecisti mensas numulariorum, & ven-
dentium columbas sedes deiecisti: obiurgans eos, quod cum
scriptum apud Isaiam fuisset, domus mea, domus orationis vo-
cabitur, ipsi speluncam latronum eam facere non dubitauis-
sent. Quo eodem loco, cæcos, & debiles curauisti. Pueri eti-
am, iisdem te ornarunt laudibus, quibus à populo paulò an-
tea fueras exornatus, cum Osanna, id est, obsecro serua, pu-
blice omnibus audientibus decantarent. Quod, quoniam Pha-
risei, & Scribæ ferrent iniquius, num ea, quæ pueri can-
rent audiuissem, abs te querere non verebantur. At tu,
cum audire te egregie dixisses, nunquam ne legissent: Ex
ore infantium, & lactentium perfecisti laudem: vicissim eos
interrogauisti: & sic demum relictis ijs, unà cum duodecim
Apostolis, abiisti Bethaniam: & postridie prima luce, in vr-
bem es reuersus. Accidit interea, ut cum in itinere, ficum
quandam sine fructibus inuenisses, male ei precarere; ne vn-
quam ex se fructum proferre vel amplius posset. Cuius im-
precationis tanta vis fuerat, ut Apostoli continuo eam aru-
isse uehementer mirarentur: quos tu, ut fidem haberent,
neque dubitarent, non solum ficum, verum etiam montem, quæ
ostendebas, illorum iussu, in mare se præcipitem daturum mo-
nuisti. Nec ita multò post, varias, & multiplices quæstiones,
apud te agitare Scribæ & Pharisei inceperunt. Ac primùm
qua potestate, id, quod faciebas, faceres, quæsiuerunt. Tu
verò ad interrogata nihil minus respondisti: sed si ad ea, de
quibus tu vicissim eos interrogare volebas, respondissent, te
etiam

etiam ijs responsionem daturum es pollicitus. Erat autem quæ-
stio: Unde Ioannis baptismum, an à dæmone, an ab homini-
bus, profectum esse iudicarent. Ad quæ sanè illi responde-
runt nihil: voluebant tamen secum animo, & diligenter co-
gitabant, si à Deo profectum fuisse respondissent, dicturum te
fuisse, cur ei credere noluisent; si ab hominibus testarentur,
ut vniuersa plebs, quæ Ioannem, ut prophetam veneraretur,
se obrueret certo futurum: itaque ignorare se fateri, quæ
in periculum incurrere potiùs voluerunt. Et tu quoque vi-
cissim, te dicturum eis aliquid, qua potestate illa faceres, ne-
gauisti. Addita parabola, de duobus filijs, quorum is patri
morem gessit, qui prius recusauerat; alter neglexit, qui se fa-
cturum receperat: innuens coram Deo Opt. Max. illis fore
cunctos priores, etiam peccatores: quandoquidem Ioanni,
apud illos rectam vitæ, & virtutis viam docenti, id, quod
scorta, & publicani fecissent, fidem habere nunquam voluis-
sent. Nec verò non & aliam subiunxisti parabolam, homi-
nèmque patremfamilias fuisse dixisti, qui, cum vitem se-
cuisset, eiq; sepem circumdedit, & torcular in eadem, atq;
turrim ædificasset, ea vinitoribus locata, longinquum iter su-
scipisset. Jam verò cum tempus appeteret vindemiarum, ser-
uos suos ad vinitores, qui fructum perciperent, tum misisse.
At vinitores arreptis seruis, verberasse unum, occidisseq;
alterum, & tertium postremò lapidibus obruisse. Itaque pa-
tremfamilias, iterum alios seruos plures, quàm vel antea,
quos ijsdem affecissent supplicijs misisse: ad extremum etiam,
filium, quòd eum venerabiliorem, apud eos futurum arbitra-
retur. Sed ne huic quidem esse ab ijs parsum: imò, quòd hæ-
res esset,

res esset, & quò morte ipsius venturam ad se hereditatem magis crederent; eò maiori spe, & uehementia, in ipsius necem conspirasse uidebantur. His dictis, coepisti eos rogare, utis dominum, cùm redisset, quod de illis supplicium esse sumpturum, iudicarent. At illi, cùm malos, male perditurum, & alijs vineam suam locaturum respondissent, denuo interrogare eos dignatus es, num illud Dauidis aliquando, Lapis, quem iij, qui ædificabant, improbauerunt, in capite anguli collocatus est, legissent, aut audiissent? Ex quibus quidem omnibus id concludebas fore, ut regnum Dei Iudeis adimeretur; & gentibus, quæ fructum eis procuraret conferretur. De lapide uerò, quem angularem dixeras, sic disserere placuit; ut perfractum iri eum, qui in illum cecidisset; in quem autem cecidisset, comminutum iri testarere. Quas quidem parabolas, & interrogationes tuas, cùm ad se haud dubie pertinere te uelle, primi quidam sacerdotes, & Pharisei arbitrantur; proinde te comprehendere, & captiuum facere, aliquoties cogitabant: sed motu populi, qui pro propheta te habebat, verebantur. Quocirca interim eo posthabito, aliud quoddam contra te ineunt consilium, & te in sermone, ac oratione, captiosis quibusdam uerbis, & quæstiunculis, irretitum uolunt: discipulosq; suos, cum Hærodiæ ad te mittunt; qui conciliandæ beneuolentiæ ergò, aut potius tentandæ tuæ prudentiæ gratia, magistro te compellato, scire se, quòd uerus es, uiasque Dei doceres, nec ullum in personis haberes discrimen, profitentur. Atque sic istis uerborum præmissis aucupijs, utrum Cæsari tributum necne pendere liceat, te interrogant. Quorum tu cognita astutia, Hypocritisq; ijs nuncupatis,

cupatis, quid se frustra tentarent, respondere dignatus es: ostenderent numum, siue denarium. In quo posteaquam, cuius esset simulacrum interrogauisses; & illi Cæsaris esse respondissent; Cæsari ea, quæ essent Cæsaris; & ea, quæ Dei, Deo dare iussisti, & Iudæos confudisti. Satis iam factum, & dictum dolose, contra te uideri ab ijs poterat, & debebat. Sed ecce denuò Saducæi, qui ipsi resurrectionem negauerant, ad te ueniunt, & huiusmodi rem exponunt: Erant, inquit, septem fratres aliquando, quorum primus, uxore ducta, cum obisset, & ex lege Mosaica, uxorem fratri reliquisset, quòd nullos ex ea liberos suscepisset, causa fuit, ut idem, & alteri, tertioque vsque ad extremum licere uideretur: his resurgentibus cunctis, cuius illa uxor tandem censi possit, & debeat? Hos tu in maximo errore uersari testatus es, qui nec scripturas, nec Dei Opt. Max. potestatem capere potuissent. In resurrectione quippe nullum locum coniugio futurum; sed omnes in cælo uitam Angelorum esse imitaturos, & acturos: quam ut crederent, locum scripturæ citare placuit: Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Iacobi; non mortuorum Deus, sed uiuentium. Quæ quidem abs te sic prolata, multitudo uehementer est mirata. Quamquam nihilominus Pharisei Saducæos, summa tua prudentia, & eloquentia, obmutuisse conspicati nõ quiescerent; sed imò quendam legisperitum ad mouendam de maximo præcepto legis apud te quæstionem animarunt: qua tu opportunè dissoluta, de Phariseorum doctrina, & potestate, qui in Mosis locum successissent, multa præfatus, audiendam eorum doctrinam, sed minimè sequendos mores monuisti. Alia quippe sunt morum, doctrinæ uita

E

tia alia.

via alia. Tu autem fuisti is, qui & verbo sapientiam tradidisti, & presenti virtute doctrinam firmavisti. Quocirca etiam aliquando iisdem Pharisæis, & Scribis imprecatus es, quod Regni cælorum fores hominibus occluderent, cum tamen nec ipsi intrarent, neque alios ingredi paterentur: & quod iidem duces se præberent alijs, cæcos, cum docerent. Si quis per templum vel altare iurasset, nihil ei religionis ex eo oriri oportere; secus verò, si per aurum templi, vel donarium iurasset, hunc nimirum iureiurando semper teneri. Qua in re, ut reuera stultos, & cæcos esse ostendisses, quærebas ab eis: Utrū maius, sanctiusq; esset, aurumne, an templum, quo sanctum redderetur aurum? donariumne, an altare, quod illud consecraret? Ex quo demum concludebas, eum, qui per aram iuraret, per illam, & per omnia ea, quæ in ea sunt; & qui per templum iuraret, eum per illud, & per eum, qui in illo habitat, iurare; & qui per cælum, eum item per solium Dei, qui in eo sederet atque imperaret. Imprecationis verò, hanc dixisti fuisse causam, quòd mentæ, & cymini, decimas perciperent, & quæ grauiora essent, iudicium, misericordiam, fidemque reliquissent: nam & hæc fieri oportere, & illa omitti non debuisse innuebas. Denique quod illas saltim corporis partes, sicuti pocula, & catinos, abluerent, quas cernerent; in animo autem, rapinæ, & multorum aliorum vitiorum maculas, non abstergerent: necessariò prius hæc expianda: quibus mundatis, extrinseca etiam mundities sequeretur: secus si facerent, videri tibi eos sepulchris dealbatis similes testabàre: quæ, quemadmodum pulchritudinis nescio quã speciem præferrent, intus ossibus mortuorū repleta essent; sic & eos, præter vulgi

ter vulgi opinionē, in se nihil solidi esse habituros. Sed vel hoc etiam nomine grauius eis imprecatus es; quòd sepulcrum prophetarū edificarent, iustorumq; monumenta ornarent; & tamen negarent, si patrum suorum vixissent memoria, se socios illis præbituros fuisse, cum sanguinem profunderent prophetarum. Ex quibus quidem eorū dictis, & confessione manifesta, eos profiteri se liberos eorum fuisse, qui prophetas occidissent conuincebas: monebasq; simul, vt se ad patrū conferrent imitationem: et eos rogabas, qui supplicium ignis, quo essent afficiendi, possent effugere. Deniq; identidem confirmabas te prophetas, sapientes, & scribas ad eos mittere, quorum partē occiderent, partem in crucē agerent, alios in synagogis suis flagris cæderent, oppidatim exigerent alios, necnon omnes eos, qui in eorū aures oratione nō insuerent, crudelissimè persequerentur; ita, vt omnis sanguis innocuus, qui effusus esset in terram à sanguine iusti Abel, vsq; ad Zachariæ, Baruchiæ filium, quem inter templum, & altare interfecissent, in eos, eorūque capita esset redundaturus. Tum ad urbem Ierosolymam auersa oratione, quòd Prophetas occideret, & lapidibus obrueret eos, qui ad eam mitterentur, obijcere ei cœpisti: & quemadmodum gallina congregat pullos suos; ita te eam frustra colligere voluisse, testatus es: vnde ob ingratum animum vastitatem & excidium eam manēre. Sedebas etiam ad Gazophilacium aliquando, hoc est, ad thecam, in templo pecuniæ imponendæ destinatam: & omnes, qui infundebant aliquid considerabas. Ibi, cum pro se quisque immitteret, misit etiam quadrantem vidua quædam paupercula: quam tu multis alijs præstitisse plus te status es: quòd videlicet victum ipsa dedisset su-

set suum, alij verò ex eò, quod illis superabat, erogasse viderentur. Sic animum, non copiã spectat Deus largientis. Quid: cum ambulans, egressus ex templo aliquando fuisset, & vnus ex discipulis monuisset te, vt lapides, quales essent, & stru-cturam templi intuerere; nõne venturum tempus prædixisti, quò ne vnus quidem cum altero lapis cohæretet? Seden-tem verò in Oliuetico monte, cum remotis arbitris Petrus, Iacobus, & Andreas, quàm mox, ea, quæ dixeris, euentura, qui aduentus illius, quæ item mundi ipsius foret significatio, te interrogauissent, graui-ter eos adhortatus es: viderent etiam atque etiam, ne quis forte eos deciperet, atque deluderet; si quidem plurimi, qui se Christum profiterentur, & multis verba dare niterentur, essent venturi: eos tum famam præliorum audituros; sed minimè conturbari oportere: hæc quippe necessariò perferenda esse, verum non actutum mundi finem aduenturum: gentem impetum facturam in alteram: regnum in regnum: pestem, famem, & terræ motus grauissimos esse futuros. Cumq; tot malis & calamitatibus oppressi, aliquando & vitam ipsam amittere cogerentur, & immanissimè trucidarentur, in omniumq; gentium, & hominum odia eius causa incurrerent; tum denique multos ijs quæ vidissent, in summam desperationem, & nequitiam iri deductum: ita, vt alios proderent, & inimicitias inter se perpetuas exercerent: tum adeò nonnullos futuros, qui sibi prophetarum, & vatum nomen frustra usurpare non vererentur: tum in tot, tantisq; vitijs, & sceleribus, aliorum refrigescere charitatem oportere: sed qui vsque ad extremum in sancto proposito maneret; eum vitam æternam habiturum: postremò, cum in orbe ter-
rarum vni-

rarum uniuerso Euangelium prædicaretur, quod testimonij
locum, apud omnes gentes obtineret, tum demum finem mundi
aduenturum. Quo loco, quid præterea adieceris, quo nomine
cobortatus tuos fueris, quæ ventura prædixeris, longum ef-
set commemorare. Scitum quippe imprimis est, quod dixeris,
nimirum cum urbem Ierosolymam obsideri uiderent, ipsius
euenisse euerfionem, certò sibi ut persuaderent: & ut præ-
terea ij, qui in Iudæa versarentur, recipere se ad montes, qui
in media urbe essent, discedere, qui in agris, in eam non in-
troire haud dubitarent: quandoquidem ij dies ad uoluciscendam,
quam tibi intulissent, iniuriam luceferent. Atque tum adeò
& mulieribus, quæ prægnantes essent, uel pueros alerent,
infinita mala euentura, necnon & illud prædixisti, fore ut
populus gladio feriat, & in omnia imperia captiuus distra-
batur: enimuero tum orandum, instandique apud Deum
Max. ne fuga nostra hyeme, aut sabbato accideret: quòd
tum tot, & tantæ calamitates, quot, & quantæ aliàs nun-
quam fuissent, nec futuræ essent, orbem terrarum certò ma-
nerent. Quod si eorum qui electi sunt causa, dies illi non con-
traherentur, multorum salutem in discrimen peruenturam.
Denique, si fortè aliquis in hoc, uel in illo loco Christum es-
se diceret, si quis in deserto, & in solitudine affirmaret, ne uel
exire uel temere credere uellent, es cunctos grauissimè ad-
hortatus. Sicut enim fulgor ex oriente prodit, & usque ad oc-
casum uidetur uergere; sic tuum aduentum proculdubio iu-
dicandum: namq; ubi cadauer fuerit, conuolaturus & aqui-
las. Simul atque autem tot, tantorumq; malorum euenisset fi-
nis, in sole, & luna obscuritatem consecuturam, casurasque

stellas, & in terra, in hominibus, cum desperatione coniun-
ctam animi contractionem futuram, & multos, eorum quæ su-
peruentura essent, terrore, & expectatione, siccitate tabescere
debere monuisti. Necnon & in ipsos Angelos cæli, casuram
motionem. Tum verò & signum tuum visum iri de cælo, &
omnes homines planctum edituros, venientemq; te in nubi-
bus cæli, cum virtute, & maiestate maxima, visuros, &
Angelos tuos cum tuba, qui ex tribus orbis partibus, voce ma-
gna conuocarent omnes, audituros, testabare. Quibus quidem
sic inspectis, quòd eorum adesset redemptio, in cælum intu-
erentur: & ut ex ficu edente fructum ver cognosceretur,
sic visis istis regnum Dei non procul abesse iudicarent: quip-
pe quod cæli, & terra mutationem pati possent; verba tua
certò essent effectorem sortitura. His dictis, adijcere & illud
placuit, prouiderent diligenter, ne vino, crapula, & huius
vitæ curis, opprimi se paterentur, ne item dies ille extremus
eos opprimeret; qui tanquam quidam laqueus, aut fouea de-
sidibus structa videatur. Et diem quidem illum quando esset
uenturus scire neminem, præter solum patrem, ne Angelos
etiam ipsos testatus es. Sed sicuti temporibus Noë, ante aqua-
rum inundationem, bibebant, & manducabant, & uxores
ducebant promiscuè uniuersi, quoad inundatio superueniens
omnes submerserat; ita & aduentum tuum talem futurum de-
nunciare placuit. Si quidem duos in agro futuros, quorū vno
relictò, acciperetur alter: duasq; molam versaturas, quarum
vna de medio sublata, altera relinqueretur: et itè in lecto duos
recubituros, quorum vno ablato, alter restaret. Quapropter
exemplo patris familiæ vigilarent cuncti: qui, si sciret, qua
boni fur

20

bona fur venire deberet, non quieti, non somno se daret; sed dies, noctesq; perpetuò excubaret, neque in domum suam cubiculis quenquam intrare pateretur. Atqui hi quidem fuerunt perpetui sermones: eò omnes tendebant præceptiones, & parabola tuæ. Nihil ut magis, quàm sobrietatem, quàm preces, quàm vigilantiam, quàm moderationem animi, in dictis, factisq; omnibus referimus, nihil ut vehementius, quàm ingrati animi notam, in Iudæis semel depræbensam, & ostensam, erga Deum Opt. Max. auersemur. Quorsum enim parabola de vinea, quæ cultoribus fructum negantibus insuper & seruos, ac postremò filium domini occidentibus pertinet? Quorsum alia de nuptiali conuiuio, ad quod inuitatis venire recusantibus, atque etiam vocantes occidentibus, alij prius non inuitati recepti sunt, spectat? An per vineam, regnum Dei à Iudæis, ad gentes transferri debere, non est clarè descriptum, & denunciatum? An per nuptias, gentes ad gratiam Euangelicam admittendas non promissum? Dat etenim Deus omnibus omnia gratis, sed rursus ab ingratis data aufert beneficia. Hoc sanè & parabola illa, de decem virginibus, quarum quinque ob oscitantiam exclusis, in nuptialem thalamum sponsi receptæ sunt significat. Hoc sibi vult de talentis à domino distributis altera; quorum, qui lucrum fecerunt, laudati, & honorati sunt; qui inutilis fuit, habito iudicio, non solùm vituperatus, verùm etiam in tenebras exteriores est missus. Cuius quidem iudicij, ut dixi, non tempus, sed signa tantùm, & illius modum, in ventilatione areæ describere dignatus es. Cùmq; postremò abominationem desolationis, & futuram antichristi persecutionem explicuisses, di-

uersis m.

uersis modis, & exemplis ad vigilandum nos monuisti: & lumbos præcingere, ac lucernas in manibus ferre nos iussisti. Quæ omnia & singula, si explicare vellem, dies me deficeret. Faciam ergò, quod pictores solent: ut cum effigiem aliquam, pro eo, ac par est, perficere non possunt, extrema tamen lineamenta, relinquunt: ut qualis, & quam augusta illa facies futura fuisset, si suis, quod aiunt, numeris, absolui potuisset, referre videatur. Sic ego Christe Opt. Max. Cum omnibus dictis & factis tuis enumerandis sufficere non queo; ea, quæ adhuc mihi dicenda de te restant, quoad eius fieri melius poterit, summatim explicabo. Quis enim dubitabit, in illo extremo veluti vitæ tuæ actu, maximos labores, & difficultates, & tot, tantâq; pericula te adijse, & denique crudelissimam mortem, pro nobis obire non dubitauisse? Ac, ut breuiter percurram singula, ex illis consiliorum, gestarumq; rerum scriptoribus tuis, vitæq; nostræ magistris, an luce meridiana non clariùs patet, semperq; patuit, post tot conspirationes, & molitiones Iudæorum, contra te factas, tandem eò peruentum esse, ut Iudæis traderêre. Primùm ergò à proditore Iuda, triginta argenteis numis venditus es: & id secreto: quod videlicet proditores occultari volunt, & sine spe, vel pecunia raro quid faciunt. Quæquidem omnia quanquam præsciueras; tamen interim aliò aliâs, te subducere voluisti: non quòd vitare, quod sustinere necesse erit, cupiuisset; sed ut neminem sua culpa, in pericula se conijcere debere ostendisses. Atque propterea, cum id tempus, occasioq; tulerat, Petrum, & Ioannem ad parandum Pascha, in montem Syon præmittere dignatus es: ubi cænam cum discipulis sumpsisti
ultimam,

ultimam, eorumq; lauisti pedes, ad exemplum tuæ præstan-
tis humilitatis, & virtutis. Quo loco typicus agni esus, nouum
salutis nostræ Pascha, inchoatum est abs te, & sub panis, vi-
niq; specie, discipulis in mysterium datus: neq; tamen seruum,
& proditorem Iudam, à tali conuiuio reijcere placuit: omnis
namque simulatio est turpis, dissimulatio etiam necessaria
aliquando. Hæc cum fierent, Ioannes tuo sacratissimo pecto-
ri, ex quo torrentem mysteriorum Euangelicorum protinus
hausit, indormierat. Tu verò ad discipulos verba faciens,
id maxime inculcasti; ut nemo charitatem maiorem esse, nec
cogitari posse, quam eius, qui vitam suam pro amicis profun-
deret certò sibi persuaderet. Et verè. Nihil enim mortalibus
in vita iucundiùs vita. Quò magis tua laudanda patien-
tia est; qui antequàm morerère, omnes etiam cruciatus ani-
mi, & corporis priùs subiuiisti, & ea, præ quibus mori mil-
lies præstat, in tuo corpore pertulisti. Sit graue, & molestum,
iniurias pro alijs pati; at tu pro nobis passus es. Sit durum &
vix credibile pro alijs verberari; at tu pro nobis verberatus
es. Sit inauditum pro alijs mori; at tu pro nobis es crudeliter
mortuus. Neque verò temere Petro, qui pro te moriturum se
obtulerat, quòd negare te debuerat ter, antequàm gallus can-
taret prædicere voluisti. Etenim qui sine Dei nutu, & vo-
luntate aliquid sequitur, nunquam asequitur. Quo loco, di-
scipulos, & reliquos qui te diligenter, ut & mandata obser-
uarent tua, diligenter adhortatus es: & postquam id fecisses,
et Deo patri omnes commendasses, dicto, et decantato hymno,
in montem Oliueti ingressus es iter: ubi Petro, & duobus fi-
lijs Zebedæi assumptis, contristari & mæstus fieri cœpisti. nec-

non acerbissimæ mortis metu, sudasti sanguinem: & procedens in faciem mortis, & passionis poculum, à te transferri supplex patrem petijsti; ita tamen, ut non tua, sed eius voluntas fieret. Quandoquidem obedire, quàm litare præstat. Quid ego hîc amplius dicam? Quò me vertam? Incidi in pelagus: et quò plus inuehor, eò magis benignitatis tuæ laudandæ cursus mihi ostenditur. Tua beneficia erga nos tot, & tanta sunt; ut cum incredibile videatur enarrare cuncta, tamen nefas præterire, vel aliqua: præsertim cum nullo suppliciorum, & infamiae genere, tu fueris pro nobis præteritus. Iam ergò ad tam crudelem, & ignominiosam mortem, vltro te offers: iam à proditore Iuda, osculo te tradi sinis: Iam Petro inflammato post amputatam Malchi auriculam, gladium recondere in vaginam iubes: iam ipsi Malcho auriculam restituis: iam ab impijs, & sceleratis te captiuum fieri tandem permittis. O admirabilem patientiam, & mansuetudinem tuam! o bonitatem erga nos prædicandam! Tibi nos salutem nostram acceptam ferimus: tuum hoc opus, pulcherrimum opus, non humanarum virium, & ingenij opus confitemur: Quis nostrum, miseros nos (magnitudo enim innocentiae tuæ exprobrat scelus impietati nostræ) quis, inquam, pro tot, tantisque beneficijs tuis, erga nos referre tibi gratiam, vel aliquam potest, nec ullam non debet? Quis tantæ, quantam tu perpeesus es, atrocitate iniuriæ, quis grauitate pœnæ non permouetur? Omnes mihi videre videor illa die acerbissimos dolores, & gemitus tuos. En discipuli illi, quos ex omni omnium genere præcipuè tibi elegisti, fouisti, aluisti, tandem præ timore abs te diffugiunt, & te relinquunt: en eos desolatos, tristes, &

ut oues

ut oves errantes intuere : en furore , & impetu graui , liga-
ri, & trahi te, vltro patere : en ut inter lupos agnum te irri-
dent omnes : en verberibus in via afficiunt, contumelijsq; in-
finitis : en tanquam hominem omnium sceleratissimum ducunt
ad Pontifices. Priuatorum siquidem licentia, publica magi-
stratus armatur nequitia. Quorum quidem in concilio man-
suetus, & ut agnus, stetisti mutus. Illi de doctrina, & disci-
pulis te quaesuerunt ; tu de doctrina tantum respondisti : illi
grauibus & contumeliosis verbis, in te inuecti sunt ; tu non
solum verba, sed etiam alapam à Pontificis seruo tibi illatam
patienter pertulisti. Mitto ab iniquis, subornatisq; testibus,
accusatus cum fuisses, & nihil ad ea, de quibus interrogaba-
re respondisses ; quomodo videris Pontificem contrate actum
in furorem : nihilominus tamen, cum Dei Opt. Max. men-
tio fieret, habita eius nominis reuerentia, Pontifici respondere
voluisti, & verum seculorum iudicem te venturum fateri
non dubitauisti. Nimirum numinis nominis que diuini religio,
vel ipsius capitis periculo defendatur. Quid ? quòd blasphem-
iae nomen tibi falsò impositum patienter ferre, & à Ponti-
fice, in scissione vestis, sacerdotium ab eis auferri debere, non
obscure prænunciare dignatus es : & mox inimici, & perse-
quutores tui, iniquæ morti, te adiudicauerunt : & homines
omnium prophanissimi, tuum collum, & faciem cæciderunt.
Neque verò, quomodo sputis, luto, & puluere, in ignomini-
am infectus fueris, quomodo faciem tuam omnium iucundis-
simam velari permiseris, commemoro. Nihil dico, quàm gra-
uiter caput ictus, & per ludibrium vaticinari iussus es : quo-
modo sacrilegis manibus collum tuum percussus, os immani-

ter verberatum, tracti capilli, euulsa barba est, nullum crudelitatis genus erga te non adhibitum, & ostensum: quomodo nulla ratio aggradiendi, nulla facietas abijciendi tanti sceleris fuerat: quomodo non quieti te dare, non respirare vel minimum potueris. Fam enim per eam noctem, tot, & talia indignè pati coactus es; quot, & qualia nulla unquam protulit barbaria. Quo eodem tempore Petrum tertio te negantem piis oculis respexisti, & ad fletum, pœnitentiãq; prouocauisti: quippe qui grauius peccat, grauius & doleat, nec temerè sibi blandiatur. Quid mane factò, & malignantium contra te coacto concilio? An non eò magis exarserunt, & te per medium ciuitatis tractum, reuinctis post terga manibus, in illud concilium adduxerunt? Unde postea, Pontio Pilato Ierosolymæ Præsidi traditus es: & ab eo ad Herodem missus: & ab hoc remissus vicissim. At verò dum apud Herodem fueris, & abs te expectari miracula cognoscebas, ad ea, de quibus interrogabare, ne verbum quidem respondisti ullum. Sed imò, ut Herodes, & Pilatus, inirent contra te concordiam, & vel hoc nomine amici fierent, facile es passus: sic, quos honesta nequeunt, turpia sæpè consociant. A quo demum Pilato identidem quæsitus, falsas accusationes Iudeorum noluisti refellere; sed inclinato capite, vultuq; placido, stetisti ad opprobria cuncta paratus. Cuius iudicio, quanquam innoxius inuentus es; tamen ne quid Iudeorum postulatis, derogare ille videretur, dimmissus Barrabas est, tu in licetorum, & carnificum manibus, licet innocentissimus permansisti: nimirum datur aliquando venia malis; crux, & supplicium subeandum, vel probatis. Quid multa? ut veluti castigatum

stigmatum te facilius dimitteret, ligari ad columnam, et flagris
cœdi Pilatus imperat. Quo tamen ipso Iudei nō cōtenti, coro-
nā neētentes ex spinis, capiti superimponunt tuo: & exspolia-
tū vestibus, tunica purpurea induūt: datāq; pro sceptro arundi-
ne dextræ, genu flexo, Regem Iudeorū te salutant: & deniq;
ignominiæ pœnas adijciunt, os tuū conspurcant, caput calamo
percutiunt, colaphosque impingunt. Atq; sic demum contem-
ptum, & vexatum, & grauitè cœsum educit Pilatus fo-
ras, & homine ad mouendū misericordiam ostenso, & appel-
lato, nihil se criminis comperisse, in te fatetur. Et erit qui hic
deposita inuidia, a sumere tandem misericordiam Iudeos
debuisset non credidisset? Quandoquidem & proditor ipse Iu-
das, malefacti compunctus conscientia, triginta argenteos ad
Pontifices retulerat, seq; in prodendo iusto sanguine admisisse
scelus profitebatur: vnde & mortem postea sibi ipse consciuit:
& pontifices, quòd pretium sanguinis esset, cū eam pecuni-
am, in thecam reponendam non duxissent, pro sepeliendis pe-
regrinis, agrū ex ea compararunt. At enim in malis peruer-
sisq; rebus, facilius inuicium inuenitur, quàm modus statui-
tur. Itaq; his tot, tantisq; cruciatibus, quibus affectus fueras
non contenti, vt cruci etiam affigere, pluribus verbis Iudei
efflagitant: & secus si acciderit, Cæsaris amicum Pilatum
non esse futurum testificantur. Et poterant hi esse homines?
Qui si fuissent homines, hominis innocui sanguinem, an tan-
topere sitiuisent? Beluæ hi potiùs, & in figura hominis im-
manissima portenta extiterunt. Quid enim? An impium nō
videbatur, Messiam non suscipere? an non summum scelus
facto dictōue violare? an non nefas vincire? an non sacri-

legium verberare? quid dicam ad necem poscere? quid in
crucem tollere? quidignominiosissima morte supplicioque ma-
ctare? Verbo satis digno, rem tam indignam exprimere non
queo. Vicit temeritas consilium: furor rationem: æquita-
tem iniustitia: moderationem audacia. Occisus est is, qui non
volebat imminutam eorum libertatem, sed imò cupiebat au-
ctam, & exaggeratam dignitatem. Inuentus est nemo, qui
non inflammari scelere, qui ardere inuidia, qui exagitari a-
mentia, contra eum non videretur. In his tamen tot, tantisq;
malis, & insidijs tibi factis, supererat spes salutis aliqua, ni-
si tu ante tribunal adductus Pilati, in crucem agi te quasi vl-
trò ipse voluisses. Quid enim aliud silentium illud volebat
tuum? quis erat sensus factorum, dictorumq; tuorum omnium?
quorsum tanta perturbatio mentis, & quædam scelerum offu-
sa caligo, & ardentes furiarum faces Iudæos excitarunt?
Viuens, vidensq; tu, non modò tot iniurias, & contumelias
pati, verumetiam mortem oppetere pro nobis non dubitauisti.
Ergo prolata à præside sententia, purpurea veste exutus es,
& manibus à colo fune circumligato, crucem tuam humeris
impositam portare coactus es: & tandem etiam latronibus asso-
ciari, & inter eos connumerari voluisti. Neq; hæc tantum,
sed multò etiam plura, & maiora amoris tui erga nos moni-
menta reliquisti. Nam, quid ego, graui sub pondere incurua-
tus cum fuisses, & in Golgota ducerere, de animi, corporisq;
cruciatibus tuis dicam? quid, cum matrem tuam præ dolore
pænè exanimatam aspexisses, loquar? tum veluti gladio quo-
dam doloris, cor tuum confossum est: tum ad amantes, & lu-
gentes te, oculi, & os tuum est conuersum: tum vox illa au-
dita, in-

data, interitus Ierosolimæ prænūcia, & ignominia sempiterna; quando filias Ierusalem, non super te, sed super se, filiosq; suos ut flerent monuisti. Quid? An sub pondere graui, & molesto, ad eò fructus, & debilitatus non fueras; ut Symon Cyrenæus, portare post te crucem cogeretur? Jam verò in ipso Caluarie monte, ad doloris, & pudoris cumulum, vento, & frigori coram omnibus nudatus, & pro nobis ea es passus; quæ non dicam cæli & terræ dominus, sed seruus, non seruus, sed sceleratus, non sceleratus, sed ex omni flagitiorum genere concretus pati vix debuisset. Conijcite, conijcite oculos quo vultis; & num vera sunt ea, quæ olim prædixerat vates, considerate. A planta pedis usq; ad verticem, ne unum quidem membrum futurum fuisse, in quo non exprimerent vestigia Iudæi, dirè in eum crudelitatis & furoris sui. Siccine autem se habet, ut author vitæ, amittat vitam: & qui mori debuerat, in ipso, & per ipsum asequatur eam? Siccine tu, ad tot, & tanta supplicia, pro nobis te offers? Nos abdomini dediti, suppliciorum genera, vix videmur scire, aut verò meminisse. Sed fingamus iam animis, (liberas enim cogitationes habemus, & hîc defigere maxime debemus) fingamus, inquam, tam atroci, & miserabili spectaculo, nos præsentis interesse; & hæc non literis mandata, sed spectata mentis acie contemplemur: & erit, qui harū rerū recordatione, non modò animo, verùm etiam toto corpore non perhorrescat? qui non ardeat dolore? qui non facta, sed ficta, non perpeffu facilia, sed penè incredibilia hæc potius arbitretur? Nam ut in multis pauca commemorem. Quis non videt præciosissimam faciem, & carnem tuam præ flagellis factam

Etiam leprosam? sacratissimum matris tuæ caput velo cinctum,
& mentis dolore obuolutum? te ipsum in lignum crucis dire
proiectum, & immaniter esse distentum? manus item & pe-
des tuos multo manante cruore, clavis transuerberatos &
confossos? Chyrographum peccatorum nostrorum, tuæ cruci
affixum, ipsumq; te in cruce exaltatum, inter cœlum & ter-
ram pendentem, imaq; superis coniungentem, & quod summū
est, pro hostibus, & interfectoribus tuis orantem atq; suppli-
cantem? titulum præterea triumphalē tribus linguis scriptum,
supra crucē tuam positū, et inter duos latrones te cruci affixū,
verum Iudicem bonorum, & malorum nō admiratur? Latro-
nē porrò, qui à dextris tuis, in crucē sublatus fuerat, quamli-
bet sero pœnitere videretur, in gratiā abs te receptū, atq; exau-
ditum? Deniq; vera illa esse, & semper fuisse, quæ literarum
monimentis fuerunt de te olim cōsignata: nimirū vestimenta
tua diuidi, & super vestem mitti sortem debuisse? Patris u-
nigenam pendere in cruce, & sperni à quamplurimis? Hunc
porrò materno dolori commisereri; & hanc Ioanni, illum ma-
tri ab eo commendari? Age? quantus ille, & quàm incredi-
bilis amor tuus fuerat; cū ad Deum patrem preces pro no-
bis funderes, & præ angustia spiritus, Heli, Heli lamaza-
batani, exclamares? Quid? cū, sitio, diceres, an huma-
nam salutem non potiùs sitiisti? Interim tamen vino a-
ceto, cum felle mixto potari, & interiora tua cruciari
permisisti. Sic tibi hoc, quòd hominem volebas amare,
cessit amare. Nihil dico, quòd nemo tam ferreus, & ingra-
tus fuerit; qui in passione tua, salutis nostræ mysterium, mi-
randum in modum consumatum fuisse, nolens, volens non
fateatur:

fateatur: qui horam illam nonam, qua sacratissimam tuam
animam Deo patri commendasti, non memori mente colat, &
pro tot, tantisq; beneficijs tibi ut debet gratias non agat, &
habeat: & qui mentis oculis non aspiciit, supremi diei, habi-
tum oris, & corporis tui; quando inclinato capite, versus
matrem animam exhalasti: Et qui postremò ad omnia ea, quæ
circa mortem acciderunt tuam non penitus obstupescat. Quid
enim admirabilius fuit, vel esse potuit; quàm, quòd in obitu
tuo sol est repente obscuratus, terræ motus excitatus, velum
templi scisum, & aperta monumenta? Hem tua charissima
mater cum Ioanne, & sororibus maximo dolore afficitur: la-
tus tuum perfoditur: ex latere aqua, & sanguis effunditur.
Nec verò non Iosephus, & Nicodemus, sub ipsam iam ueste-
ram de cruce te deposuerunt, & brachia mœstissimæ matris
exceperunt. Hæc te plangit: lugent boni omnes: cælum &
terra agitantur: sol, & elementa obscurantur. Mox cum a-
romatibus syndone munda, & lyntheo inuoluère: atq; ita ter-
ræ dominus, & hæres in alieno sepulchro iaces sepultus. Iam
verò mortuus ut fueras; statim ad inferos descendisti, &
deuictò Diabolo, infernum spoliauisti, sanctosq; & electos
tuos cum triumpho, & gloria ab inferis eduxisti. Quæ qui-
dem omnia, & singula quis aggredi fuisset ausus? aggressus
est Iesus: quis recuperare potuisset? recuperavit Iesus: quis
absoluisset, & perfecisset? absoluit & perfecit Iesus. Hæc
nisi ego maiora, quàm ut cuiusquam intellectus, capere posse
ea videatur, fatear, amens sim. Sed non ad minora festinat
animus. Siue à morte resurrectionem, siue frequentem di-
scipulorum tuorum consolationem, siue in cælos ascensionem

tuam quis consideret, siue rerum & temporum momenta, & personarum, quibus cum versatus es, circumstantias penitus intueatur. Quis enim est, qui nesciat, quod ruptis vinculis mortis, cum admirabili nominis tui gloria, tertia die à mortuis surrexeris? & quòd dum resurgeres terræ motū maximum fieri volueris? & quòd deniq; matrituæ cum lachrymis oranti, primùm apparueris, eiusdemq; luctum, & mœstitiam in gaudium conuerteris? Quid verò de mulieribus cum aromatibus ad monumentum tuum venientibus loquar? quibus Angelorum visionem præbere dignatus es; qui lapidem ab ostio monumenti reuolutum eis ostenderunt, & ut Discipulis resurrexisse te annunciarent, iniunxerunt: aut, quid de sepulchri tui custodibus exterritis ac penè exanimatis loquar? aut, quid dicta factaq; tua alia, quæ penè infinita sunt, recenseam? Quasi vero obscurum fuerit, quòd dilectis quidem tuis desiderium te quærendi dederas; sed facultatem inueniendi, usq; in Galileam distuleras: & quòd Mariæ Magdalene in specie hortulani apparueras, & pijs alijs mulieribus à sepulchro redeuntibus propitijs, speciosusq; occurreras. Quidè veritatè resurrectionis tuæ, an à mulieribus corruptis pecunia perucrti passus es? & an tuo vicario, Apostolorūq; Principi, effusè lachrymanti, ut eū consolarere, priuatim nō apparuisti? Quod quidem non visione tantum testificari, verum etiam duobus in via discipulis, ut peregrinus associari, & in fractione panis clarè te eis manifestare volueras. Jam ad congregatos intrans discipulos, nōne in medio eorum stetisti; utq; eos, qui subdubitare de te cœperant, confirmasses, tua etiam vulnera palpare eos permisisti; & fauam mellis afferri, &

ri, & coram eis manducare voluisti? Neq; vero de Doctrina, & prædicatione tua hîc aliquid loquar: qua Apostolis reliquias tradens, sensim ut scripturas intelligerent, aperire dignatus es. Saltem illud dicam, & paucis additis, finem dicendi faciam. Quòd tum vel maxime, licet & semper aliàs fuit videre, quis, & quantus fueris; cùm tibi potestatem omnem diuinitus traditam, non obscure manifestare, & annunciare uoluisses, missis discipulis ad baptizandum gentes, & nationes, per orbem terrarum uniuersum. Tum ut in littore maris apparens discipulis, ad dextram nauigii, rete trahi præceperas: & morem gerentibus illis, infinita piscium multitudine rete adimplere feceras. Tu ab infidelitatis vulnere, ut sanares nos, ab Apostolo Thoma, tua vulnera palpari permiseras: & non semel, atque iterum, sed per quadraginta dies in varijs, & multiplicibus argumentis, discipulis tuis apparueras: & cùm illis conuescens, inspectantibus cunctis, tandem in cælos ascenderas. Tum quinquagesimo die post, spiritum sanctum, qui à patre, & à te procedit, in linguis igneis mittere, & per simplicem Apostolorum prædicationem, ad agnitionem ueritatis totum mundum perducere dignatus es. Tum denique Ecclesiam tuam, non secus ac firmam petram, per manus sanctorum tuorum, exædificatam, & diuinis sacramentis tanquam monilibus sponsam ornatam decorare placuit, ut in his ipsis factis, & dictis tuis singularia quædam mysteria alia expressa esse, & fuisse, non commemorem. Nam quòd cæci reciperent per te uisum, gentes ad te conuertendas, & illuminandas haud dubie docuisti, quòd aures surdorum patefaceres, fore, ut qui ueritatis expertes fuerant, diuinas de te

—voces audirent, & intelligerent, monuisti. Quòd mutorum
linguæ in eloquium soluebantur, futurum, ut rerum cœle-
stium nuper ignari, de Deo, deq; eius veritate plenè differe-
rent ostendisti. Et denique claudorum pedes ad ambulandum
informando, vitæ erroribus cohibitis apertum iri veritatis
iter, cui ad Dei gratiam consequendam homines insisterent,
innuere dignatus es; simulq; exanguia mortuorum corpora re-
uocans in vitam, tantam doctrinam tuam habituram vim, ut
ij, qui alieni à Deo facti, & morti subiecti essent, cognitione
eius illustrati, ad immortalitatis præmia peruenirent testifica-
ri non dubitauisti. Quid porrò? an ut opera ea, quæ ante
præceperant, sic & reliqua ea, quæ in passione pertuleris, non
sunt plena mysteriorum etiam maximorum? Corona spinea ca-
piti tuo imposta, quid aliud significabat, nisi quod diuinam
plebem de noxijs tanquam spinis tibi colligere debueras? Ace-
ti potus, & fellis cibus in magistri os ingestus, quid volebat
aliud, nisi quod veritatem ijs amaram, qui eam sequerentur,
& profiterentur futuram testabatur? Crux postremò ipsa cui
affixus es, ne quis esset, qui imitari te nõ posset, & ut integrum
tertio die ad resurgendum corpus restaret, denotabat? Et
denique, ut humilis adueneras, sic humilem te mori ostendere,
duceq; & authore te de subacta & debellata morte, mortalem
hominem triumphantem introducere voluisti. Quæ quidem
cùm ita sint, & fuerint, & cùm omne bonum de super datū,
& profectū agnoscere, & confiteri nos oporteat, gratias tibi
agimus, semperq; habebimus, summe Iesu; quòd naturæ no-
stræ imbecillitati, donum gratiæ, & intellectus infunden-
do, peruersitati ignorantis, & maliciæ tenebris abstergen-
do,

do, tarditati, clarè & dilucidè omnia nobis enarrando, sub-
uenire uolueris, & quod adeò miserrimæ, & deploratissimæ
cōditioni nostræ succurreris: neque dubitamus, & reliqua illa
doctrinæ tuæ capita, secundam tabulam pœnitentiæ, post nau-
fragium nobis relictum, matrem tuam in cœlos assumptam, &
pro nobis aduocatam constitutam, pro eò, ac debemus, observa-
re, teq; uiuorum, & mortuorum seculi per ignem iudicem
aduenturum præstolari: quandoquidem lux, uia, & ueri-
tas tu es ipsa, quæ nec falli possis, nec fallere uelis: & cuius
uerba, & promissiones, non ijs quibus cœli, & terræ cursus,
sed planè infinitis spacijs, regionibusq; continetur. Tu, quod
nec Sybilla illa Sambetem oriunda, quam de te, deq; gentis
tuæ origine, infinita uolumina conscripsisse ferunt: neque
Mercurius Ægyptius, quem Trismegistum ob diuinitatem
vnam, in triplici hypostasi traditam nuncupatum testantur:
neque Zoroastes, & Chaldæi, qui olim de patre, & filio mul-
ta dixerunt: neque Orphæus Pœta, qui suis in hymnis Deū
filium mundi effectorem cecinit: neque ille Plato, ex cuius Li-
cæo, bonam partem diuinitus nobis traditæ doctrinæ expres-
sam fuisse, ipse D. Augustinus est author: neque deniq; tot,
tantiq; alij præstare poterant: tu, inquam, solus, Euangelij
tui luce, hominibus ostendisti: per te unum, & trinum De-
um Opt. Max. & illam supremam, præstantemq; naturam v-
nam, & eandem, personis tribus, patre, & filio, & spiritu
sancto supplices adoramus: per te patrem aliunde non esse, non
factum, non creatum, non genitum, non existentem, & ma-
nantem ab alio, principium sine principio, ex omni æternita-
te, non beneficio alterius, sed sua uicohærentem, principi-

um non rerum tantummodo omnium, sed & filij, & Spiritus
Sancti, libentissime confitemur: per te ipsum, te principium ex
principio, non ab ullo certo tempore factum, non creatum,
sed ex æternitate, abstrusa prorsus hominibus ratione, à solo pa-
tre genitum, & eius naturali munere, cum generatore suo, si-
ne ulla perturbatione, confusione, commixtione per se cobæ-
rentem, una omninò copulatum natura, & ab eodem sine ul-
la distinctione, alienatione, auulsione, agnoscimus esse distin-
ctum: per te Spiritum sanctum ex patre, & filio, uno ipsius
principio æternum ex æternis, non creatum, non generatum,
mirabiliter procedentem, & cum utroque eiusdem naturæ
communione connexum veneramus. Tu Christe Opt. Max.
de sinu patris in hunc mundum, nostræ causa descendere: tu
formam serui accipere, tu nasci, tu circumcidi, tu ad Iorda-
nem ablui, tu tot ærumnas, & persecutiones pati, tu tot adi-
re pericula, tu tot suscipere labores & difficultates, tu tot in-
iurias et contumelias ferre, tu crudelē et ignominiosam mortē
oppetere nō dubitauisti: tu à mortuis gloriosus surrexisti: tu ma-
trē et discipulos consolatus es tuos: tu resurrectionis tuæ verita-
tem euidenter commonstrare, tu doctrinæ reliquias explana-
re, tu ad dexteram Dei patris in cœlos ascendere, tu pro no-
bis mediatorem te constituere dignatus es: tu postremò disci-
pulos tuos vnos, ex omni hominum genere gentium docto-
res, & magistros, abstrusarum interpretes rerum, linguas
legum antiquarum, moderatores vitæ, specula iustitiæ,
sal, & lumina orbis terræ delegisti: tu participes tuæ glo-
riæ, & cobæredes salutis æternæ nos omnes futuros promi-
sisti. Quid ergo restat? nisi ut omnes curas, omnes vigilias,
omnia

28
omnia deniq; studia, & cogitationes nostras, ad te solum lau-
dandum, prædicandum, adorandum, perpetuò referimus: &
ut consensione doctrinæ, coniunctione voluntatum, hone-
state vitæ, illam diuinarum personarum naturæ unitatem
imitantes, quæ modo credimus, intueri post obitum possimus,
& perfectâ felicitate beati cum patre, & filio, & spi-
ritu sancto, vero, & uno Deo æuo sempi-
terno perfruamur.

AVTOR LECTORI S.

PLacuit tandem hunc Commentarium edere de factis
& dictis Iesu Christi, & quidem diebus ijs, quibus me-
mori mente, colendis & celebrandis, nemo non christianus
obligatur. Quem limari diligentius debuisse non inficio,
præsertim cum iam pridem compositus, nullam excusa-
tionem temporis afferre posse videretur. Sed nobis, qui
genus vitæ & professionis aliud sequimur, studiâque ista
non in sole, & acie (quod aiunt) tractamus, sed veluti in
umbra & palestra quadam per transfennam intuemur: tu
si æquus fueris, facilè id condonabis. Vale. Cracouiæ
Calendis Aprilis.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Victor

Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



